Apel, Johann [Hrsg.]: Corpvs Ivris Legvm Per Modvm Insitvtionvm
Löwen, 1551 Seite 47

inter eos diuidenda, vt dimidiam partem hi qui per patrem aſcendunt, capiant. Inter ipſos vero aſcendentes, ex parte patris, ſequantur eos, qui ſunt ex parte matris, pro virili portione diuidenda. Quod ſi nec deſcendentes, aut aſcendentes quiúe inter aſcendentes vocantur, defuncto ſint, primo vocentur ad hæreditatem fratres vel ſorores germani vel germanæ, vel defuncti fratris germani filius vel filia, cum his etiam naturales liberi cum matre eorum, in duas vncias admittantur: vt tantum mater accipiat, quantum ad vnum filium filiamúe, peruenerit. Quod ſi prædictæ perſonæ defuerint, veniant fratres vel ſorores vterini. His vero deficientibus, cæteri cognati veniant ſecundum ſui ordinis prærogatiuam: vt qui proximior ſit gradu, potior ſit in ſucceſsione. Aliam perſonam ex tranſuerſo in locum patris ſui ſuccedere, præter fratris filium, non concedimus. Nulla autem differentia habita in omnibus prædictis ſucceſsionibus, vel agnationis, vel cognationis, ſed ſolum gradus ſanguinis naturalis ſpectetur.

a *Accipiet vnus quantum ne potes omnes ex filio.*
b *Vt qui proximior ſit gradu potior ſit & ſucceſſione.*

DE

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/apel1551/0062
gefördert durch die Gesellschaft der Freunde Universität Heidelberg e.V.